

Rationem,

qua

Horatius nomina Graeca declinaverit,

exposuit

D.^{R.} N. MOHR,

Gymnas. Dorp. praecept. super. ord. a cons. aul.



R. 347
Einladung

zu

den öffentlichen Prüfungen im Gouvernements-Gymnasium

und in den übrigen öffentlichen Schulen zu Dorpat.

Bibliotheca
universitatis
Dorpatensis

inf.

900

Dorpat 1848.

Gedruckt bei J. C. Schönmann's Wittve.

ESTICA
347


Imprimatur.

Dorpati d. X. m. Nov, a. MDCCCXLVIII.

Frid. Neue, Censor.

ESTICA

B. 347.



Die öffentliche Prüfung im hiesigen Gymnasium wird an folgenden Tagen und in folgender Ordnung stattfinden:

am 18. December, von 9 Uhr Vormittags ab,

in **Quinta: Religion**, Herr Oberlehrer, Hofrath Thramer. — **Geschichte**, Herr Oberlehrer, Hofrath Dr. Hansen. — **Geographie**, der wissenschaftliche Lehrer, Herr Riemenschneider. — **Russisch**, die Lehrer der russischen Sprache, Herr Tit.-Rath Amenikty und Herr Tit.-Rath Witte.

in **Quarta: Arithmetik**, der wissenschaftliche Lehrer, Herr Riemenschneider. — **Russisch**, die Lehrer der russischen Sprache, Herr Tit.-Rath Amenikty und Herr Tit.-Rath Witte. — **Naturbeschreibung**, der wissenschaftliche Lehrer, Herr Riemenschneider. — **Latein**, der wissenschaftliche Lehrer, Herr Tit.-Rath Fränkel.

in **Tertia: Deutsch**, Herr Oberlehrer, Coll.-Rath Santo. — **Planimetrie**, Herr Oberlehrer, Hofrath Nerling. — **Russisch**, die Lehrer der russischen Sprache, Herr Tit.-Rath Amenikty und Herr Tit.-Rath Witte. — **Latein**, der wissenschaftliche Lehrer, Herr Tit.-Rath Fränkel. — **Französisch**, Herr Coll.-Rath Pezet de Corval.

Nach der Prüfung jeder einzelnen Classe werden von den Schülern Versuche im Declamiren in deutscher, russischer, lateinischer und französischer Sprache angestellt werden.

Am 20. December, von 9 Uhr Vormittags ab,

in **Secunda: Religion**, Herr Oberlehrer, Hofrath Thramer. — **Griechisch**, Herr Oberlehrer, Hofrath Dr. Mohr. — **Russisch**, Herr Oberlehrer, Tit.-Rath Lilienberg. — **Algebra**, Herr Oberlehrer, Hofrath Nerling.

in **Prima: Russisch**, Herr Oberlehrer, Tit.-Rath Lilienberg. — **Geschichte**, Herr Oberlehrer, Hofrath Dr. Hansen. — **Latein**, Herr Oberlehrer, Coll.-Rath Cedergren. — **Deutsche Literatur**, Herr Oberlehrer, Coll.-Rath Santo.

Am **21. December**, um 10 Uhr Vormittags, wird die feierliche Entlassung derjenigen Schüler der ersten Classe, welche ihren Gymnasial-Cursus beendet haben, stattfinden. Diesen Act wird Herr Oberlehrer, Coll.-Rath Santo mit einem wissenschaftlichen Vortrage eröffnen.

Darnach werden redend auftreten:

Eugen Woldemar Masing, 18 Jahr alt, in lateinischer Sprache: „Ueber die rechte Art der Betreibung der wissenschaftlichen Studien.“

Wilhelm Adolph Tubenthal, 17½ Jahr alt, in russischer Sprache: „Ueber Peter den Großen, als Bildner seines Volks.“

Carl Adolph Mezler, 17 Jahr alt, in deutscher Sprache: „Ueber Bürger und Hölty, in ihrer Stellung zum Göttinger Dichterbunde.“

Alexander Theodor Poulet, 20½ Jahr alt, in griechischer Sprache: „Ueber die Sitte der Alten, die Todten zu bekränzen.“

Carl Conrad Wagner, 18½ Jahr alt, in französischer Sprache: „Ueber Pierre Corneille, als dramatischen Dichter.“

Außer diesen werden entlassen:

Andreas Friedrich Lezius, 19½ Jahr alt.

Hermann Leopold Schwan, 19½ Jahr alt.

Nach Beendigung dieser Reden wird der Gouvernements-Schulen-Director das Wort nehmen, nach der üblichen Berichterstattung die oben genannten Jöglinge entlassen und die Versetzungen in höhere Classen bekannt machen.

Der Primaner Friedrich Krüger wird sodann den Nachruf an die Scheidenden aussprechen und der Versammlung für die geschenkte Theilnahme den gebührenden Dank sagen. Vocal-Musik, von den Schülern des Gymnasiums unter der Leitung des Lehrers des Gesanges, Herrn Mumme, ausgeführt, wird den Redeact einleiten und beschließen.

Die öffentliche Prüfung in der hiesigen Kreissschule wird am 22. December, von 9 Uhr Vormittags ab, stattfinden.

In der ersten Elementar-Knabenschule wird die öffentliche Prüfung gehalten werden am 21. December, von 5 Uhr Nachmittags ab;

in der zweiten Elementar-Knabenschule am 22. December, von 5 Uhr Nachmittags ab;

in der russischen Elementarschule am 23. December, von 11 Uhr Vormittags ab.

Se. Excellenz, der Herr Curator des Dorpatschen Lehrbezirks, General-Lieutenant und hoher Orden Ritter von Krafftström, Se. Excellenz, der Herr Rector, der Herr Prorector und die Mitglieder der Kaiserlichen Universität, der Herr Kronschulen-Inspector, sämmtliche Behörden des Landes und der Stadt, insbesondere die Mitglieder eines Hochedlen Magistrats, die Hochwürdige Geistlichkeit beider Confessionen, der Hochwohlgeborne Adel, die Aeltern und Vormünder der Schüler und alle Freunde der Jugendbildung und Gönner des Schulwesens werden hiedurch ehrfurchtsvoll und ergebenst eingeladen, diese Schulprüfungen mit ihrer Gegenwart zu beehren.

Quamquam, ex quo tempore Graecorum Romanorumque literae, tenebris aetatis mediae fugatis, maximam partem Europae luce sua denuo collustraverunt, viri docti variis philologiae disciplinis adornandis excolendisque et utriusque linguae scriptoribus emendandis explicandisque operam dederunt et mirum quantum in his rebus profecerunt, nihilominus tamen et nostrae aetati multa, quae perpoliri possint, supersunt. Etenim ut ii viri docti, qui rerum naturam scrutantur, non solum arbores majoresque bestias quaestione sua dignas existimant, sed etiam in minimos muscos et bestiolas vix conspicuas non minore diligentia inquirunt, ita philologis, quamvis homines antiquarum literarum parum periti eorum studium irrideant, res minutas, quae videri possint, minime contemnendas esse crediderim. Itaque bona spes me tenet, fore, ut non omnibus operam et oleum perdidisse videar, quod hoc libello, qua ratione Horatius nomina Graeca declinaverit, exponere conatus sum. Philologis enim nihil eorum, quae ad disciplinam nostram pertinent, nihili esse, mihi persuasum est, iis vero, quibus philologia vel odio, vel contemptui est, non scripsi. Quare horum iudicium nihil moror, illos autem oro, ut, quantulumcunque dare potui, benigne recipiant.

Bentlejus, vir ille de Horatii operibus emendandis optime meritus, ad Epod. 17, 17. annotat: „Observavi in iambis, sermonibus et epistolis Latinas declinationes libentius adhibere nostrum, in carminibus Graecas.“ Quod edictum plerique viri docti, qui Horatii poemata ediderunt, verissimum habuisse videntur, neque tamen hanc legem tam late patere arbitror, quam v. c. Orellius opinari videtur, qui Carm. I, 19, 2. contra optimorum codicum auctoritatem „et propter Horatii usum in carminibus lyricis et propter εὐφωλίαν post Thebanæ“ (quae sunt ejus verba) genitivum Graecum *Semeles* recepit. Equidem certe, omnibus formis nominum Graecorum, quae apud Horatium reperiuntur, diligenter comparatis, invenisse mihi videor, Horatium neque in omnibus declinationibus, neque in singulis ejusdem declinationis casibus unam eandemque legem secutum esse. Fatendum est quidem, hanc rem non omnino ad liquidum perducì posse, quum multis locis variae lectiones reperiantur, attamen probabilia saltem proponi poterunt. Ut vero, quicumque hanc commentationem legerit, facillime dijudicare possit, num mihi probabilia proferre contigerit, primum formas nominum Graecorum, quae in Horatii poematis leguntur, enumerabo, tum demum, quas leges poeta secutus esse videatur, inde eruere conabor.

DECLINATIO I.

Nominativus singularis numeri.

1) Nomina masculina literis *as* terminata. Reperiuntur in carminibus: Aeneas IV, 7, 15. C. S. 42. Gyas (cum varia lectione minus probabili Gyges) II, 17, 14. III, 4, 69. Scopas IV, 8, 6; in ceteris poematis: Amyntas Epod. 12, 18. Rarior forma Latina semel tantum usurpata est Marsya S. I, 6, 120. idque propter metrum. Nomen Gallina S. II, 6, 44. Latinum est.

2) Nomina masculina literis *es* terminata. Praeter tria patronymica, quae sunt: Aeolides II, 14, 20. Atrides II, 4, 7. et Tydides I, 15, 28., inveniuntur Gyges II, 5, 20. (et fortasse II, 17, 14. III, 4, 69.) et Scythes II, 11, 1. IV, 14, 42. Nomen Orestes S. II, 3, 133. 137. A. P. 124. apud scriptores

Latinos saepius tertiam declinationem sequitur, itaque huc non videtur referendum. Ex nominibus barbaris huc pertinet Phraates Ep. I, 12, 27. et fortasse Monaeses III, 6, 9. Nomen Judaei est Apella S. I, 5, 100., cujus forma Graeca esset Ἀπελλῆς vel Ἀπελλᾶς.

3) Nomina feminina litera *e* terminata. Reperiuntur in carminibus: Chloe III, 9, 9. 19. Dindymene I, 16, 5. Europe III, 27, 25. Euterpe I, 1, 33. Helene IV, 9, 16. Lalage II, 5, 16. Lyde III, 11, 7. 25. Myrtale I, 33, 14. Photoe I, 33, 9. II, 5, 17. Rhode III, 19, 27. Thrace (terra) II, 16, 5; in reliquis poematis: Agave S. II, 3, 303. Ithace (cum varia lectione parum probabili Ithacae) Ep. I, 7, 41. Mytilene Ep. I, 11, 17. Penelope (varia lectio Penelopa metro repudiatur) S. II, 5, 81. Phryne Epod. 14, 16. Procne A. P. 187. Rejecta forma Graeca latine terminantur Erycina I, 2, 33. Thraca Ep. I, 3, 3.

4) Nomina feminina litera \bar{a} terminata apud Horatium hanc literam ubique corripiunt, ut Lesbia Epod. 12, 17.

5) Nomina Graeca primae declinationis, quae appellativa sunt, ab Horatio semper latine declinantur tam in nominativo, quam in ceteris casibus, ut apotheca S. II, 5, 7. pyga (vel puga) S. I, 2, 133. zonam Ep. II, 2, 40.

Genitivus singularis numeri.

Genitivum literis *es* terminatum iis nominibus concessum esse, quarum nominativus litera *e* finiatur, satis constat, sed apud Horatium leguntur sine varia lectione Helenae I, 3, 2. Epod. 17, 42. et Hagnae S. I, 3, 40., cum varia lectione — *es* Semelae I, 19, 2. Circae Ep. I, 2, 23. et Penelopae Ep. I, 2, 28., ita tamen, ut etiam his tribus locis forma Latina longe pluribus et melioribus codicibus nitatur; quare affirmare liceat, Horatium genitivum Graecum primae declinationis omnino sprevisse. Addendum videtur, metrum omnibus sex locis utramque formam permittere.

Accusativus singularis numeri.

1) Nomina masculina literis *as* terminata. Duo modo exempla reperiuntur Pythagoran S. II, 4, 3. et Lycidan (cum varia lectione minus probabili

Lycidam) I, 4, 19. Accusativi Scipiadam S. II, 1, 17. et Jarbitam Ep. I, 19, 15. a nominativis litera *a* terminatis derivandi, itaque hic non respiciendi sunt.

2) Nomina masculina literis *es* terminata. Nomina ejusmodi apud omnes scriptores, exceptis iis exemplis, quae accusativum tertiae declinationis assumant, tantummodo Graecum accusativum admittere constat. Exempla accusativi literis *en* terminati sunt in carminibus: Alciden I, 12, 25. Anchisen IV, 15, 31. Geryonen II, 14, 8. Gygen III, 7, 5. Laertiaden I, 15, 21. Merionen I, 6, 15. I, 15, 26. Mysten II, 9, 10. Panthoiden I, 28, 10. Scythen IV, 5, 25. Thyesten I, 16, 17. Tydiden I, 6, 16; in reliquis poematis: Antiphaten A. P. 145. Atriden Ep. I, 2, 12. Lycamben Ep. I, 19, 25. Peliden Ep. I, 2, 12. Priamiden S. I, 7, 12. Pyladen S. II, 3, 139. Duobus locis variae lectiones non omnino contemnendae sunt Geryonem II, 14, 8. et Antiphatem A. P. 145. Praeterea reperitur Bellerophontem IV, 11, 28., qui accusativus utrum a nominativo Bellerophontes, an Bellerophon, derivandus sit, propter dativum Bellerophonti III, 7, 15. et ablativum Bellerophontē III, 12, 8. dubium est, et Apellem Ep. II, 1, 239., quod nomen tamen apud plerosque scriptores Romanos tertiam declinationem sequi solet*). De accusativo Ulixen infra agam, ubi de tertiae declinationis accusativo singularis numeri sermo erit. Nominum barbarorum exempla sunt Niphaten II, 9, 20. Phraaten (cum varia lectione Phraatem) II, 2, 17. et Tiridaten I, 26, 5.

3) Nomina feminina litera *e* terminata. Formae Graecae sunt in carminibus: Chloen III, 7, 10. III, 9, 6. III, 26, 12. Circen I, 17, 20. Danaen III, 16, 1. Europen III, 3, 47. Hippolyten III, 7, 18. Lalagen I, 22, 10. 23. Lycen IV, 13, 25. Lyden II, 11, 22. Mytilenen I, 7, 1. Penelopen I, 17, 20. III, 10, 11. Pholoen I, 33, 7. III, 15, 7. Rhodopen III, 25, 12. Thracen III, 25, 11. atque cum lectione varia formae Latinae vix respicienda Creten III, 27, 34. et Helenen

*) Bothius Bellerophontem et Apellen scripsit, quam formam in priore nomine praeferrem, si codicum auctoritate fulciretur.

I, 15, 2; in reliquis poematis: Hecaten S. I, 8, 33. Tisiphonen S. I, 8, 34. et varia lectio parum probabilis Penelopen S. II, 5, 76. Accusativus Latinus horum nominum, exceptis duobus locis III, 27, 34. et I, 15, 2., ubi pauci codices Cretam et Helenam praebent, in carminibus non reperitur; in reliquis autem poematis haec sunt exempla: Cretam Epod. 9, 29. Helenam S. I, 3, 107. Ilionam S. II, 3, 61. Ithacam S. II, 5, 4. Penelopam S. II, 5, 76. (quo loco variam lectionem Penelopen minus probabilem esse supra dixi) et Thracam Ep. I, 16, 13.

Vocativus singularis numeri.

1) Nomina masculina literis *as* terminata. Certa exempla vocativi Graeci sunt Xanthiā II, 4, 2. et Tiresiā S. II, 5, 1., minus certum est Archyta I, 28, 2., quoniam hac voce versus finitur, attamen in hoc quoque nomine literam *a* longam esse crediderim.

2) Nomina masculina literis *es* terminata. Graeca forma utuntur Atridē Ep. I, 7, 43. et Laertiadē S. II, 5, 59., Latina Atridā S. II, 3, 187.

3) Nomina feminina litera *e* terminata. Vocativus horum nominum semper litera *e* exit et tantum in carminibus reperitur, ubi haec sunt exempla: Asterie III, 7, 1. Barine II, 8, 2. Calliope III, 4, 2. Chloe I, 23, 1. Europe III, 27, 57. Leuconoe I, 11, 2. Lyce III, 10, 1. IV, 13, 1. 2. Lyde III, 28, 3. Melpomene I, 24, 3. III, 30, 16. IV, 3, 1. Neobule III, 12, 5. Phidyle III, 23, 2.

Ablativus singularis numeri.

Formam Graecam hujus casus a Latina tantum in iis nominibus, quorum nominativus aut literis *es* aut litera *e* finiatur, discrepare notum est. Illorum nominum exemplum est Bellerophontē III, 12, 8., horum Circa Epod. 17, 17., ubi tamen varia lectio Circe fere ejusdem auctoritatis est, ita ut parum liqueat, utra lectio praeferenda sit. Ablativus gausapē S. II, 8, 11. ex tertia declinatione Latina petitus est, quamquam γαυσάπης nomen primae declinationis est.

DECLINATIO II.

Formis Graecis hujus declinationis Horatius in universum multo rarius usus est; praecipue in virorum nominibus formae Latinae admodum praevalent. Exempla formae Graecae in nominibus ejusmodi haec pauca sunt: Tityos III, 11, 21. Tityon II, 14, 8. Troilon II, 9, 16. et probabiliter Dolichos Ep. I, 18, 19., quae nominis forma variis lectionibus Docilis et Dolicis praeferenda videtur; permagnus vero numerus est nominum hujus generis literis *us* et *um* exeuntium, quae omnia enumerare longum est. Magis amat Horatius formas Graecas in locorum nominibus. Exempla nominativi Graeci sunt: Chios Ep. I, 11, 1. 21. Ilios IV, 9, 18. Lesbos Ep. I, 11, 1. Rhodos Ep. I, 11, 17. 21. Samos Ep. I, 11, 2. 21. et probabiliter Cocytos (cum varia lectione minus probabili Cocytus) II, 14, 18. et Jolcos (ubi tamen Orellius Jolcus scripsit) Epod. 5, 21; accusativi Graeci: Cnidon III, 28, 13. Cypron I, 30, 2. Delon I, 21, 10. Ilion III, 3, 18. 37. Epod. 14, 14. Paphon III, 28, 14. Pelion III, 4, 52. et Rhodon I, 7, 1. Nominativo Latino poeta usus est in his exemplis: Corinthus Ep. II, 1, 193. Hebrus Ep. I, 3, 3. Ep. I, 16, 13. Ister IV, 14, 46. Lebedus Ep. I, 11, 7. Pactolus Epod. 15, 20. Palinurus III, 4, 28; accusativo Latino in his: Bosporum II, 13, 14. III, 4, 30. Caucasum I, 22, 7. Epod. 1, 12. Cyprum I, 19, 10. III, 26, 9. Hebrum III, 25, 10. Lebedum Ep. I, 11, 6. Olympum I, 12, 58. Oricum III, 7, 5. et probabiliter Ephesum (ubi tamen Orellius ex aliquot codicibus Epheson recepit) I, 7, 2.

In aliis nominibus Graecae originis Horatius fere semper formis Latinis usus est, rarissime Graecis. Certa exempla declinationis Graecae haec sunt: Arcton (sidus) II, 15, 16. et barbiton I, 1, 34. III, 26, 4; dubia phaselon III, 2, 29. et Scorpios (sidus) II, 17, 17., quibus duobus locis multi codices formam Latinam offerunt, et quidem ita, ut saltem altero loco haec omnino praeferenda videatur.

Genitivus pluralis numeri Boeotum, quem poeta Ep. II, 1, 244. usurpavit, pro forma Graeca haberi nequit, sed ejusdem generis est, cujus genitivi virum, nummum, medimnum, alii, qui rectissime ad tertiam declinationem Latinam referuntur.

DECLINATIO III.

Nominativus singularis numeri.

Nomina propria hujus declinationis literis *on* terminata hanc formam fere semper servant, ut Alcon S. II, 8, 15. Amphion III, 11, 2. Ep. I, 18, 44. A. P. 394. Anacreon IV, 9, 9. Aulon II, 6, 18. Colophon Ep. I, 11, 3. Ixion III, 11, 21. A. P. 124. Lacedaemon I, 7, 10. Lacon Epod. 6, 5. Laomedon III, 3, 22. Orion II, 13, 39. III, 4, 71. III, 27, 18. Epod. 10, 10. Epod. 15, 7. Phaethon IV, 11, 25. Polemon (cum varia lectione parum probabili Polemo) S. II, 3, 254. Porphyryon III, 4, 54. Procyon (stella) III, 29, 18. Forma Latina est Macedo III, 16, 14., quod tamen hoc loco non est nomen substantivum, sed adjectivum, et Apollo, quod nomen ab omnibus scriptoribus Romanis prorsus latine declinari satis notum est.

Nomina propria literis *eus* terminata hunc exitum ubique apud Horatium monosyllabum servant, ut Atreus A. P. 186. Enipeus III, 7, 23. Idomeus IV, 9, 20. Lynceus Ep. I, 1, 28. Nereus I, 15, 5. Nireus III, 20, 15. Orpheus A. P. 392. Patareus (nomen adjectivum) III, 4, 64. Peleus A. P. 96. Prometheus I, 16, 13. II, 13, 37. Epod. 17, 67. Proteus I, 2, 7. S. II, 3, 71. Theseus IV, 7, 27. Thyoneus I, 17, 23. Typhoeus III, 4, 53. Mutata tamen sunt nomina Graeca Ἀχιλλεύς et Ὀδυσσεύς in Achilles IV, 6, 4. Ep. II, 2, 42. et Ulixes S. II, 5, 100.

Ajax, Hercules et Pollux ab Horatio, ut ab omnibus aliis scriptoribus Romanis, et in nominativo et in reliquis casibus semper latine declinantur. Quae praeterea apud Horatium leguntur nomina propria Graeca tertiae declinationis, in nominativo easdem leges sequuntur, quae apud alios scriptores Romanos observari solent; velut Castor Epod. 17, 42. ultimam syllabam corripit, Pallas I, 12, 20. I, 15, 11. Epod. 10, 13. Thyias (vel Thyas) III, 15, 10. Jo A. P. 124. Minos I, 28, 9. eadem prosodia sunt, qua apud Graecos; in multis aliis non cognoscitur, utrum vocalis ultimae syllabae longa, an brevis sit, sed ex analogia conjici potest. Ex appellativis afferri possunt rhetor Ep. II, 2, 87. et heros S. II, 3, 193.

Genitivus singularis numeri.

Nomina literis *eus* terminata apud Horatium genitivo secundae declinationis Latinae utuntur, ita tamen, ut vocales *ei* etiam in unam syllabam contrahi possint; exempla sunt Penthei II, 9, 14. et Lyncei (quod bisyllabum est) S. I, 2, 90. Eandem genitivi formam invenis in nominibus Achilles et Ulixes, ut Achillei I, 15, 34. Epod. 17, 14. Ulixei I, 6, 7. Epod. 16, 60. Epod. 17, 16. et contractis literis *ei* in unam syllabam vel fortasse Ulixi Ep. I, 6, 63. Ep. I, 7, 40. Secundum eandem normam a nomine barbaro Alyattes genitivus Alyattei III, 16, 41. formatus est.

Genitivo Graeco literis *os* finito Horatius non esse usus videtur, nam variam lectionem Thetidos IV, 6, 6. repudiandam esse censeo, quum omnibus aliis locis sine varia lectione genitivus Latinus nominum hujus generis reperiatur. Exempla sunt: Palladis I, 6, 15. I, 7, 5. III, 4, 57. Paridis III, 3, 40. Ep. I, 2, 6. Phyllidis II, 4, 14. Thetidis I, 8, 14. Exempla eorum nominum Graecorum, quae etiam ab aliis poetis Romanis fere semper exitu Latino declinantur, hic omitto.

Dativus singularis numeri.

Demonstrari nequit, utrius linguae dativo Horatius in nominibus Graecis usus sit, quum in quatuor dativi exemplis II, 6, 11. III, 7, 15. S. I, 7, 16. S. I, 10, 22., quae sola exstant, cognosci non possit, utrum ultima syllaba producat, an corripatur; attamen formam Latinam esse censeo.

Accusativus singularis numeri.

In hoc casu poeta noster fere ubique exitum Graecum usurpavit. Accusativi Graeci litera *a* terminati sunt: Acheronta I, 3, 36. III, 3, 16. Agamemnona IV, 9, 25. Anacreonta Epod. 14, 10. Chremeta S. I, 10, 40. Cyclopa S. I, 5, 63. Ep. II, 2, 125. Hectora S. I, 7, 12. Helicona Ep. II, 1, 218. Japyga I, 3, 4. Lycorida I, 33, 5. Memnona S. I, 10, 36. Nestora I, 15, 22. Nirea Epod. 15, 22. Orphea I, 12, 8. Pelea III, 7, 17. Platona S. II, 3, 11. S. II, 4, 3. Plutona II, 14, 7. Promethea II, 18, 35. Protea Ep. I, 1, 90. Salamina I, 7, 21. 29. Ejusdem generis est Sapphō II, 13, 25.,

in quo nomine exitus \bar{o} e literis $\bar{o}\bar{a}$ contractus est. Exempla accusativi Latini in nominibus hujus generis rarissima sunt; Jasonem Epod. 3, 12. poeta propter numerum gratiorem videtur dixisse, Hectorem Epod. 17, 12. varia lectio Hectora dubium reddit, de accusativo Bellerophontem supra dictum est. Achilles exitu Latino *em* declinatur II, 4, 4. II, 16, 29. S. I, 7, 12. A. P. 120; Ulixes vero in editione Orelliana ubique assumpsit accusativum Graecum primae declinationis Ulixen S. II, 3, 197. 204. Ep. I, 2, 18; attamen propter similitudinem hujus nominis cum nomine Achilles aut cum plerisque aliis viris doctis Ulixem scribendum, aut, quum omnibus locis utramque formam et metrum admittat et codices exhibeant, etiam Achillem in Achillen mutandum esse crediderim.

Accusativi Graeci hujus declinationis litera *n* terminati sunt: Charybdin A. P. 145. Damalin I, 36, 17. Eupolin S. II, 3, 12. Ityn IV, 12, 5. Sybarin (nomen juvenis) I, 8, 2. Tanain (flumen) III, 10, 1. IV, 15, 24. (nomen viri) S. I, 1, 105. Varias lectiones Charybdim, Sybarim et Tanaim (S. I, 1, 105.) metro quidem feruntur, neque tamen dignae videntur, quarum ratio habeatur; contra Lirim III, 17, 8. varias lectioni Lirin omnino praefendum est, quum hoc nomen pro Graeco vix habitum sit.

Nomina appellativa Graecae originis et ipsa accusativum Graecum anteponunt. Exempla sunt: aegida I, 15, 11. III, 4, 57. aëra I, 3, 34. S. H, 2, 13. aethera II, 20, 2. heroa I, 12, 1; formae Latinae unum exemplum est chlamydem Ep. I, 17, 31. — Accusativi rariores neutrius generis apud Horatium sunt: epos S. I, 10, 43. melos III, 4, 2. nomisma Ep. II, 1, 234.

Nominum barbarorum huc referenda sunt duo: Memphis III, 26, 10. et Osiris Ep. I, 17, 60. Codices autem utroque loco adeo dissentiunt, ut ex iis certo constitui nequeat, utra forma poeta usus sit. Orellius ex Bentleji lege Memphin et Osirim scripsit, equidem, quum Horatius in hoc casu fere ubique formam Graecam usurpaverit, etiam Osirin scribendum esse censeo.

Vocativus singularis numeri.

Nomina Graeca, quae in hoc casu in lingua Graeca literam *s* abjiciunt, etiam apud Horatium hac litera semper privantur. Exempla sunt: Agyieu

IV, 6, 28. Bassareu I, 18, 11. Chlori III, 15, 8. Peleu A. P. 104. Pentheu Ep. I, 16, 73. Phoeu II, 4, 2. Phylli IV, 11, 3. Pieri IV, 3, 18. Pimplei (quo loco tamen Orellius Pimplea rectius scripsit) I, 26, 9. Tyndari I, 17, 10.

Ablativus singularis numeri.

Pauca de hoc casu dicenda sunt. Nomina literis *eus* terminata, ut apud ceteros scriptores Romanos secundam declinationem Latinam sequuntur, ut Orpheo I, 24, 13., quod unum exemplum est. Commemoro praeterea Achille S. II, 3, 193. et Charybdi I, 27, 19.

Nominativus pluralis numeri.

Poeta hujus casus formam Graecam amare videtur, quod probant: Sardis (Σάρδεις) Ep. I, 11, 2. Corybantēs I, 16, 8. Serēs III, 29, 27. IV, 15, 23., ita ut etiam in nomine Pierides IV, 8, 20. ultimam syllabam tantummodo positione longam esse recte credas.

Accusativus pluralis numeri.

Non minus in hoc casu exitus Graecus praevallet, quod demonstrant: Arabas I, 35, 40. Ep. I, 6, 6. Cycladas I, 14, 20. III, 28, 14. Hyadas I, 3, 14. Seras I, 12, 56. Thyiadas (vel Thyadas) II, 19, 9. Titanas III, 4, 43. Troas IV, 6, 15. atque ex nominibus appellativis heroas S. II, 2, 93. et lyncas II, 13, 40. IV, 6, 34. Latine declinatur chlamydes Ep. I, 6, 40., ut in singulari numero chlamydem, quod supra commemoravimus. Forma dracones IV, 4, 11. mira esse non potest, quum hoc nomen omnino latine declinari soleat; neque Alpes S. II, 5, 41. et Syrtes I, 22, 5. II, 6, 3. II, 20, 15. Epod. 9, 31. contra sententiam nostram pugnant, quum utrumque nomen Graece literis *eis* finiatur, ergo exitum *as* non permittat, sed praeter formam vulgarem tantum exitum *is*, quam variam lectionem I, 22, 5. et II, 6, 3. utique invenimus. Accedit, quod Alpes vix videtur Graecae originis esse. Accusativus Graecus neutrius generis est Tempe I, 7, 4. I, 21, 9. III, 1, 24.

De reliquis casibus numeri pluralis nihil afferendum est, nam genitivus prorsus nihil a declinatione Latina alienum offert, atque dativi, vocativi et ablativi nullum apud Horatium reperitur exemplum.

His expositis jam apparere arbitror, edictum Bentleji stare non posse, sed ita fere esse immutandum: Horatius formas Graecas praefert in primae declinationis nominativo, accusativo et vocativo et probabiliter etiam ablativo singularis numeri atque in tertiae declinationis nominativo, accusativo et vocativo singularis numeri et nominativo et accusativo pluralis numeri, Latinas contra in primae et tertiae declinationis genitivo singularis numeri et in declinatione secunda, ita tamen, ut in hac locorum nomina fere non minus saepe exitum Graecum, quam Latinum, habeant. Tertiae declinationis dativus et ablativus singularis numeri et genitivus, dativus, vocativus et ablativus pluralis numeri nullam formam e Graeca lingua petitam apud Horatium offerunt. Discrimen in usu formarum inter diversa Horatii poemata intercedere, demonstrari nequit, nisi in primae declinationis accusativo singularis numeri, in quo casu nomina feminina aperte in carminibus Graecum exitum, in reliquis poematis Latinum praeferunt.